

II l
446

M. 14.

L. M. I, 14,



CAVOLI BENEDI NAVE

PROFESSOR

FATISSI

AD

AD

PR

AD

AD

AD

AD

AD

AD

AD

AD

AD





CAROLI RENATI HAVSEN,
LIPSIENSIS, PHILOSOPHIAE MAG.
P R O G R A M M A
D E
F A T I S S T V D I I P O L I T I C I
A P V D G E N T E S
V S Q V E
A D S A E C V L V M X V I I .
Q V O
P R A E L E C T I O N E S S V A S H I S T O R I C A S
A T Q V E P O L I T I C A S
H A C A E S T A T E H A B E N D A S I N D I C I T .



L I P S I A E,
E X O F F I C I N A L O E F E R I A,
M D C C L X I I I .

CAROLI RENNATI HAVSEN
LITHOGRAPHIAE MAG.

R
P R O G R A M M A

DE

STATISTICI

APUD GENTES

1807

AD SAECULUM XVII

FRANCOFONIAE HISTORICAS
AT



MAC. DEPT. HISTORICIS



FRANCOFONIAE

EX OFFICINA LITHOGRAPHICAE

FRANCOFONIAE



P R A E F A T I O.

Restituta tandem immortalis Dei beneficio, consilio et opera nostri Serenissimi et Sapientissimi Principis, pace ac quiete publica, qua re, *Commilitones Humanissimi*, magis indicare possumus nostram laetitiam gratique animi significationem, quam si iis bonis et commodis, quae pacem comitari solent, recte ac sapienter utamur? Quamuis vero ea restitutio tranquillitatis publicae omnibus in republica ordinibus largam gaudendi suppeditet materiam; tamen nescio, annon ab ea, quam doctoribus litterarumque studiosis asferre solet, longe superetur. Quemadmodum enim belli temporibus nullus literis et bonis artibus plerumque honos haberi solet, sed illae et negliguntur, et opprimuntur, earumque cultores maxime perturbantur, ita pacis, altius caput erigere, earumque studiosi magis et aestimari, et foueri solent. Maior igitur etiam hoc felicissimo tempore cum in vniuersum in litteris excollendis et recte tractandis industria collocanda est, tum inprimis in iis, quae vitae, non scholae comparantur, et in constituenda, emendanda, ac cognoscenda republica versantur. Hae vero sunt praestantissima illa studia prudentiae ciuili et historiarum, quae *Vobis* hoc libello inprimis commendare ac earum utilitatem demonstrare elaboravi, et quorum contemptus non solum *Vobis*, sed etiam ipsi reipublicae summum detrimentum adferre solet. Cum vero ab eo tempore, quo in academia docere coepi, intellexi Vestram diligentiam et fauorem nostris studiis nunquam defuisse, nostramque rationem, qua in explicanda historia et prudentia ciuili utimur, *Vobis* non plane displicuisse, ita etiam non solum spero, sed etiam confido, fore, ut eundem erga nos retineatis animum. Hunc vero ordinem in praelectionibus nostris hoc semestri aestiuo et instituendis, et finiendis seruabimus:

IV

Diebus Lunae, Martis, Iouis, et Veneris:

- Hora IX-X. iterum explicabo *ACHENWALLII Staatsflugheit nach ihren ersten Grundsätzen*, Göttingen, 1761.
- Hora X-XI. *Historiam Vniuersalem secundum Hieron. Freyers erste Vorbereitung zur Universal-Historie*, Halle, 1756. tradam.
- Hora XI-XII. *Antiquitates Germanicas* TRESSENREUTERI, Gottingae, 1761. illustrabo.
- Hora II-III. *Historiam Statuum Europae, duce Ioanne Iacobo SCHMAUSSIO* in libro: *Kurzer Begriff der Historie der vornehmsten Europäischen Reiche und Staaten*, Göttingen, 1755. interpretabor.
- Hora III-IV. vt et diebus Mercurii et Saturni hora IX-X. *Historiam Imperii Romano-Germanici secundum Johannem Stephanum Pütterers Grundriß der Staats-Veränderungen des Deutschen Reichs*, Göttingen, 1755. explicabo.

Diebus Mercurii et Saturni:

- Hora X-XI. *Notitiam Germaniae* tradam secundum *Everhardi OTTONIS* Cap. I. in *Notitia praecipuarum Europae Rerumpublicarum*.
- Hora XI-XII. elegantem *SCHMAUSSII* libellum: *Einleitung zur allerneuesten Staats-Wissenschaft*, Leipzig, 1745. illustrabo.
- Hora II-III. *Historiam Saxoniam* secundum librum *REINHARDI VOBIS* satis notum explicabo, ita tamen, vt antiquissimam historiam tantummodo attingam, recentiorem vero eo copiosius illustrem.

Ceterum valete, res Vestras agite feliciter, meque Vestro fauore et beneuolentia non plane indignum esse iudicetis, sed Vobis persuadeatis velim, me omnem operam in eo adhibiturum esse, vt pro virili parte Vestrae doctrinae satisfacere, et de Vestris studiis bene mereri possim. Scripsi in Academia Lipsiensi, mense Aprili, MDCCLXIII.

CON-

CONSPECTVS COMMENTATIONIS.

- §. I. *In vniuersum non nulla de Politica illisque scientiis differuntur, sine quarum cognitione Politica sterilis, et nullius vtilitatis esse videtur.*
- §. II. *De Politica GRAECORVM non nulla enarrantur.*
- §. III. *De ARISTOTELE, THEOPHRASTO, aliisque Graecorum scriptoribus politicis exponitur.*
- §. IV. *Politica ROMANORVM tempore liberae reipublicae ostenditur.*
- §. V. *Politica Romanorum ab aetate AVGVSTI imperatoris, vsque ad tempora CONSTANTINI magni illustratur.*
- §. VI. *Politica Romanorum tempore CONSTANTINI magni, eiusque successorum demonstratur.*
- §. VII. *Quo modo Politica practica apud GERMANOS a tempore CAROLI MAGNI, vsque ad MAXIMILIANVM I. comparata fuerit docetur.*
- §. VIII. *Politica GERMANORVM theoretica a tempore Caroli magni usque ad saeculum XII. explicatur,*

- §. IX. *Fata studii politici in scholis apud Germanos Saeculo XII. XIII et XIV. enarrantur.*
- §. X. *Quaenam facies Politices cum in aulis principum, tum in Scholis Germaniae fuerit, tempore MAXIMILIANI I. offenditur.*
- §. XI. *Scriptores politici GERMANI Saeculo XVI.*
- §. XII. *Scriptores politici ITALICI, GALLICI, ANGLICI Saeculo XVI. enarrantur.*
- §. XIII. *Conclusio commentationis.*

§. I.

Cam nuper commentaremur de necessaria coniunctione studii politici cum historiarum cognitione, *) nobis erat animus, aliam dissertationem breui tempore euulgare, in qua ortus et progressus Politices cum apud Graecos et Romanos, tum apud Germanos aliosque populos illustraretur. Sed ab hoc proposito retinuit nos partim alius labor, partim difficillimus morbus, qui adeo nos opprimebat, vt omnem spem, ea ratione, qua antea solebamus, prosequendi litterarum studia, abiceremus. Cum vero interea aliqua ex parte ab hoc labore nos liberauit erudita Commentatio *Henrici Gottlieb FRANCKII*, **) explicabimus tantummodo fata huius studii ab origine usque ad Saeculum decimum septimum. Quilibet vero rerum intelligens statim animaduertet, a nobis non sermonem institui de Politica illa, quae praecepta suppeditat ad vitam belle et eleganter agendam, cuius mentio fit in omnibus compendiis philosophicis; (cum enim philosophi antiqui initio omnem Politicam tractarent, et publicam, et priuatam, quemadmodum paullo post patebit, recentiores sibi turpitudini duxerunt, hanc partem philosophiae omnino deserere, et leuissimam illius partem nonnunquam satis tenuiter pertractauerunt) sed potius de ea, quae in republica ordinanda, emendanda, augenda, denique conseruanda versatur. Sed quam late pateat illud studium, paucissimos intelligere, contemptus illius, inprimis in academiis, satis superque docet. Quid mirum itaque est, status nonnullos grauissimis laborare morbis, cum consilarii eorum neque rationes, quibus in vniuersum respublicae gubernari debent, neque singulares suae reipublicae perspicere didicerunt? Vehementer enim errat, qui sibi temere persuadet omnia haec duce experientia, cum ad negotia publica tractanda accedamus, optime disci posse. Nolo hic copiosus esse, satis enim haec ridicula opinio a me alio loco fuit refutata ***). Illud enim negotium, cuius naturam non intelligis, profecto egregie tractabis

*) *Diss. de necessaria, licet difficili, coniunctione Politices cum Historiarum cognitione.* Lips. ex offic. Langenhem. 1761.

**) *Comment. de culto ac neglecto iterum in academiis studio politico, necessariaque illius instauratione.* Lips. ex offic. Langenhem. 1762.

***) Conf. *Diss. iam citata*, p. 7. *Herm. CONRING. de civili prudentia*, cap. 7.

bis et perficies. Quemadmodum vero illud studium ob insignem utilitatem, quam in felicitatem totius vitae humanae habet, sese omnibus commendat; tantam tamen requirit ingenii solertiam, summam assiduitatem, multarum ac variarum rerum cognitionem, ut magis homines ad se allicere, quam diu retinere videatur. Etenim primum difficile est, in vniuersum tantummodo ea scire, quae ad naturam omnium rerum publicarum pertinent, *) ad bonam et rectam earum constitutionem, praecipuosque earum morbos, quod Politica generalis docet, quae quo magis exemplis ex Historia in primis recentiori petitis sua praecepta illustrat, eo maiorem utilitatem afferre discentibus solet. Multo difficilior illa est altera pars Politices, quae specialis dicitur. Ea enim non tantum in enarratione partium, ex quibus constant reipublicae, quae est historica cognitio, sed etiam in diligenti examinatione harum partium versatur, in indicando, quid boni, quid mali habeant, porro ex quibus causis factum sit, ut illae partes vel recte, vel male constitutae fuerint, et quibus consiliis vtendum sit, ut illae ad confirmantur, et conseruentur, hae melius constituantur et magis ad utilitatem communem accommodentur. Specialissima denique Politica versatur in enarratione partium singularis reipublicae, in diligenti examinatione illarum, in suppeditandis consiliis, quibus illae vel conseruari, vel emendari possunt, in demonstrando denique nexu, qui obtinet inter hanc singularem rempublicam aliosque status et imperia. Accuratam vero perfectamque examinationem partium reipublicae, licet generalem et specialem Politicam didicisti, nunquam suscipere poteris, nisi cognitionem habeas harum scientiarum, quae generalia praecepta continent ad naturam et constitutionem earum pertinentia. Refero ad hanc classem scientiam iuris publici vniuersalis, scientiam oeconomiam, scientiam cameralem, scientiam politiae, scientiam commerciorum, scientiam rei monetariae, scientiam iuris publici particularis cuiuscunque status, cognitionem philosophiae moralis, **) et histo-

*) Partes reipublicae cuiuscunque enarrant: *Bernh. von ZECH* in libro: *Europäischer Herold*, p. 2. *Nic. HERTIVS* in *Commentatione: Notitia reipublicae singularis*, in Tom. II. *Commentar. et Opuscul. Euer. OTTO* in *Prolegomenis Notitiae praecipuarum Europae rerum publicarum*, qui tamen *HERTIVM* plane descripsit.

**) Mirum profecto est, *L. B. de BIELFELD* in libro: *Institutiones Politiques*, II. Tomes, existimasse, non necessarium esse, politicum in addiscenda

nae recentissimae pragmaticam cum illis scientiis, quae ab ea nullo modo separari possunt. *) Nemo existimet, nos nimis et plus iusto augere difficultates in addiscendo studio politico. Non enim existimamus, has scientias partes esse Politicas, quomodo plerique faciunt, cum enim has disciplinas non accurate a Politica discernant, sed partes illius constituent, mirum est, quantum chaos eruditionis politicae efficiant. Hae sunt illae scientiae, quae arctissimo vinculo coniunctae sunt cum Politica, et is demum intelligens politicus, qui has scientias didicit, in quarum cultura ita quidem versabimur, ut ex ratione muneris, cui nos praeparamus in academia, in hac vel illa scientia maiorem operam collocemus, reliquas vero non plane negligamus, quarum generali notitia nunquam carere poterimus. Sed age videamus, quemadmodum gentes studium politicum vel aestimauerint coluerintque, vel parui duxerint planeque neglexerint.

§. 2.

Omissa Politica populi Iudaici, **) offert sese nobis Graecorum Politica, quae ob multas causas nostra examinatione digna esse videtur. Inprimis vero legibus bonisque institutis eminent Respublica Laedaemoniorum et Atheniensium, quae cum obseruarentur, libertatem suam retinuerunt, posteaquam vero neque illis, neque in vniuersum

scenda philosophia morali operam collocare. Etenim ut alia taceamus, cui magis opus esse videtur cognitio animorum, quam politico? Hac vero cognitione quis gloriari poterit, nisi philosophiam moralem, quae eam docet, didicit. Illud vero non negamus, ex hac philosophia morali, quomodo plerumque tractatur, parum utilitatis consecuturum esse politico. Nam nonnulli regulas et praecepta theoretica nimis argent, exemplis et usu plane omissis, nonnulli praecepta theoretica plane negligunt, obseruationesque quasdam pulcherrimo sermone compositas, nullo ordine seruato, proferunt.

*) Conf. BALDVINVS de institutione historiae vniuersae et eius cum iurisprudentia coniunctione. Frid. EISENHARD Oratio de coniunctione historiarum cum iurisprudentia.

**) Conf. de ea Chr. Godofr. HOFFMANNI Diss. de fati studii politici praesertim in academiis, et de insignioribus quibusdam circa illud defectibus, Lips. 1715. §. 5. Sam. TREVER. Diss. de fati studii politici, quam tamen omni opera adhibita non vidimus. Sam. RACHELI Orium Novio-magensis passim.

sum virtuti amplius honos esset, et vitia in eorum locum migrarent, discordia cresceret, Philippi consilium, quo in opprimenda eorum libertate vtebatur, facili modo succedere poterat. Illo vero tempore Graeci praecepta Politices neque litteris mandauerunt, neque docuerunt, sed tantummodo in promouenda felicitate ciuium adhibuerunt, nullusque Politicam curabat, nisi qui praesfet negotiis reipublicae. Inter Philosophos enim antiquos Peripatetici primi sunt, qui operam dederunt studio politico, honorificumque inde nomen *Politicorum Philosophorum* consecuti sunt. *) Primus fuit PLATO, qui scriptis politicis nominis gloriam sibi compararet. Reliquit ille posteritati *decem libros de Republica, duodecim libros de Legibus, et Dialogum de Regno.* **) Varie de huius philosophi conatu a viris doctis fuit iudicatum. ***) Alii eum summis laudibus extulerunt eiusque labores summo opere commendauerunt; alii contraria ex parte eum vituperauerunt eiusque libros tanquam inutiles plane reiecerunt. Recte vero in Platone desiderabis omissam coniunctionem cognitionis Historiarum cum Politica, iustum docendi ordinem, non accuratam denique distinctionem philosophiae moralis a Politica. Animaduertes in eo saepenumero praecepta, quae ad nullam transferri possunt rempublicam, et quae magis ad fictionem poëticam, quam ad philosophiam ciuilem pertinent. Hoc vltimum inprimis reperies in opere *de Republica*, siquidem illud libris *de Legibus*, qui continent nonnulla, quae vim habent in felicitatem vitae humanae, longe postponendum esse existimamus. ****)

§. 3.

Famam praeceptoris sui, PLATONIS, longe hac in re superauit ARISTOTELES, ****) Etenim perspexerat, Politicam et Historiarum studium

*) Scripta politica Philosophorum Pythagoricorum, quae STOBÆVS suo Operi inseruit, dubiae sunt fidei, et potius ab restauratoribus Philosophiae Pythagoricae Seculo p. Chr. nat. secundo et tertio profecta esse videntur. Conf. *Herm. CONRINGII Introduct. in Philosoph. Ciuil. Helmstadii, 1663. Cap. XV. p. 103. et 104.*

***) Conf. DIOGENIS LAERTII *Vitas Philosoph. Lib. III. p. 282. ex edit. Pauli Daniel. LONGOLII.*

****) Conf. FLEURY in *Discours sur Platon.*

*****) Commentatores nati sunt hi libri politici PLATONIS. Confer de illis NAUDAËI *Bibliographiam Politicam*, p. 35. *Herm. CONRING. de ciuili prudentia*, Cap. XIV. p. 348.

*****) DIOGENES LAERTIUS *Vit. Philosoph. Lib. V. p. 460.*

studium nullo modo separari posse, et praecepta hominibus esse dan-
da, qui, licet omnis opera in eorum emendatione adhibeatur, nun-
quam tamen ab omnibus vitis et erroribus sese liberabunt. Scripsit
ille praestantissimum opus *πολιτικὴ τέχνη*, in quo naturam et con-
stitutionem non solum ciuitatum Graeciae, sed etiam aliarum copiose
illustrauit. *) Et sane dolendum est, inuidia temporum hoc opus peri-
isse. Conscripsit etiam octo libros *de Republica*, quorum ordinem
optime demonstrauit restaurator Politices in Germania, *Hermannus*
CONRING. **) Varia virorum doctorum, quemadmodum *PLATO*,
etiam *ARISTOTELES* fuit expertus iudicia. ***) Animadvertis vero
in diligenti lectione *ARISTOTELIS*, eum et philosophiam moralem, et
oeconomicam scientiam non accurate distinguere a Politica, sed partes
illius facere, et magis *PLATONEM* refutare, quam consilia et prae-
cepta politica suppeditare. Paucissima denique ex Politica *ARISTO-*
TELES ad usum transferri posse, cum conditio imperiorum et rerum
publicarum plane sit mutata, quilibet intelligit. ****) *ARISTOTELI* in
Lyceo successerat *THEOPHRASTVS*, qui sicuti in reliquis scientiis, ita
etiam in studio politico magnitudinem ingenii atque doctrinae prae-
ceptoris sui aemulabatur. *****) Commemorantur a *DIOGENE LAER-*
TIO illius libri viginti quatuor *Legum*, et *Epitomes legum* libri de-
cem.

B. 2

*) *CICERO* Lib. V. *de finib. bonor. et malor.* Cap. 4.

**) In *Introductione in VIII. libros Politicorum ARISTOTELIS.* Prima editio prodit 1637. altera longe locupletior 1656. Confer inprimis Cap. II. ubi de deperditis libris *ARISTOTELIS* exponitur, et Cap. IV. ubi verus ac verus ordo horum librorum demonstratur.

***) Confer *Gottlieb Sam. TREVER* Diss. *de nativis librorum Politicorum Aristotelis*, Helmstadtii, 1715.

****) Circa Socratis, Platonis, et Aristotelis tempora videntur etiam Rhetores illi, qui sapientiae docendae causa nominabantur *Sophistae*, partem aliquam Politices, sed satis peruerse et tenuiter tradidisse. Illud patet ex *ARISTOTELE*, qui eos hanc ob causam in libris suis satis pertrinxit.

*****) Ita etiam auditores *ARISTOTELIS*, *DICAEARCHVS* et *HERACLIDES PONTICVS*, Politicam scriptis excoluerunt. Conf. *DIOGENIS LAERTII* *Vit. Philos.* Lib. V. et VI. De *DICAEARCHO* scribit *CICERO* lib. III. de *LEGIBVS*: *Ab eodem Aristotele doctus Dicaearchus, huic rationi studioque non desuit.* De *HERACLIDE PONTICO* loquitur perinde atque de *Aristotele*: *Hunc profectum a Platone illustrasse omnem civem in disputando locum.* Exstat ab eo *Dialogus de regimine*, quem *Nicol. CAIUS* edidit cum latina versione.

cem. *) Priorem librum, quomodo ex CICERONE intelligimus, tali ratione confecit, qua ARISTOTELES opus conscripserat *πολιτεία πόλεως*. Posterior videtur fuisse Epitome librorum PLATONIS *de legibus*. Hoc ultimo libro itaque facile carere possumus, priorem vero periisse, eo magis dolendum est, cum difficillimum sit argumentum, ad prudentiam legislatoriam multum conferat, nemoque, licet recentiores tale quid conati sint, expectationi doctorum virorum satisfecerit. **) A THEOPHRASTI vero aetate vsque ad CICERONIS tempora Philosophi hanc nobilissimam disciplinam plane neglexerunt et deseruerunt. ***) Etenim successor THEOPHRASTI in Lyceo, STRATOLAMPSACENVS, omnem operam collocavit in excolenda Physica, ambitque

*) Conf. DIOGENES LAERTII *Vit. Philos.* lib. V.

**) Ad eiusmodi opus scribendum requiritur primum, docere, quid lege apud gentes sit constitutum; deinde, obquam causam gens leges suas ita condidit neque aliter. Primum postulat diligentem historicum, neque tot et tantas difficultates habet posteriori. Inde etiam a multis viris doctis hoc argumentum egregie fuit tractatum. Alterum postulat politicum intelligentissimum, omniumque opera hac in re collocata fuit irrita. Tale quid conati sunt *Alexander sardus*, et *Ioannes boemus* in libellis *de gentium moribus*, *HOPPERVS* in libro *de vera Iurisprudentia*, ut et aliqua ex parte *Herm. CONRING* in *diff. epistol. de varia et maxime vera Iurisprudentia*, atque in *Diff. ad leg. 1. Cod. Theod. de stud liberal. urb. Romae et Constantinop.* Et quis ignorat, quanta fata et quam varia iudicia expertus fuerit liber ille *MONTESCOVII: Esprit des Loix*? Alii admirabantur summisque laudibus extollebant, alii summopere vituperabant. *MONTESCOVIUM* vero, licet Liber eius multam et variam eruditionem contineat, non satisfecisse proposito suo, quis negabit? Nuper etiam talem librum scripsit Celeberrimus Professor *Altorfius*, nunc pie defunctus, *HEVMANNVS: Geist der Gesetze der Teutschen*. Reperies in eo libro accuratum historicum, acutum vero politicum plane desiderabis.

**) *DEMETRIUM* vero *PHALERAEVUM* auditorem *THEOPHRASTI*, egregie Politicam tenuisse, ex *CICERONIS* lib. III. *de Legib.* discimus, qui de eo ita commemorat: *Post a Theophrasto Phaleraeus ille Demetrius mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque in ipsum discrimen aciemque produxit. Nam et mediocriter doctos magnos in republica viros, et doctissimos homines non nimis in republica versatos multos commemorare possumus, qui vero utraque re excelleret, ut et doctrinae studiis, et regenda civitate princeps esset, quis facile praeter hunc inveniri potest?* Ita *CICERO*, quo tempore eius libri adhuc exstarent, sed illi perierunt. Conf. *DIOGENES LAERTIVS* cit. loc. *CONRING. Propolitica*, p. 106.

bitque nomen Physici. Ita etiam schola Philosophorum Stoicorum, quemadmodum ex CICERONE patet, ad hanc philosophiae partem excolendam nihil operae contulit. Et quid a Philosophis Epicureis expectare poterimus, de quibus CICERO lib. IX. *Epistol. ad diuers. ep. 20.* ita scribit: *Nam omnem nostram de republica curam, cogitationem de dicenda in senatu sententia, commentationem caussarum abieciimus. In Epicuri nos, aduersarii nostri, castra coniecimus.* At enim vero quamuis philosophi in Graecia Politicam non amplius docerent, verosimile tamen esse videtur, post THEOPHRASTI tempora curam docendae Politicae iterum in se suscepisse Rhetores, qui genus deliberatiuum caussarum traderent, et, omnium rerum cognitionem prae se ferendo, ignorantiam suam satis superque proderent. *) Tam paucos Scriptores politicos Graeciam habuisse, **) cum tamen omnium bonarum artium benignissima alitrix fuerit, cum floruerit doctis Philosophis, Historicis diligentissimis, oratoribus grauibus et disertis, poetis denique praestantissimis, quis non miretur? Causae huius rei variae esse videntur. Et enim primum nemo huic studio operam dabat, nisi qui ad rempublicam accedere vellet, cum vero deinceps in administratione reipublicae versaretur, ciuilem sapientiam omni opera occultabat, deinde etiam, quamuis tales viri, qui rempublicam tractarent; v. g. *Miltiades, Cimon, Themistocles*, experientiam politicam haberent, certam tamen rationem Politicam, et scientiam rerum ciuilium ignorabant; denique in Philosophos horum temporum optime cadebat illud PETRONII dictum: *Magis scholae, quam vitae discunt.*

§. 4.

Practicam Romae Politicam, cum adhuc regum obtemperaret imperio, floruisse, leges et instituta satis superque docent, Quis ignorat instituta Romuli ad rem militarem, augendum ciuium numerum bonumque ordinem in republica seruandum pertinentia? Quis Numae Pompilii, qui Romanos religionem, reuerentiam, humanitatem denique docuit? Quis Serui Tullii, qui instituta, inprimis censum, tanto futuro imperio saluberrima dedit? Ita etiam Roma libertatem conse-

B 3

cuta,

*) Conf. *Herm. CONRINGII Antiquit. Academ. p. 233.* et *Supplement. ad p. 19. et 20.*

**) *Xenophontem enim, Demosthenem, et Isocratem, aliosque ob quasdam observationes politicas in hanc classem non refero.*

cuta, suam magnitudinem potentiamque, ad quam peruenit, maxima ex parte debet sapientissimae constitutioni, saluberrimis legibus, et praestantissimis institutis; haec per multum tempus salua mansit, illa satis diu diligenter obseruata sunt. *) Ad hanc vero magnitudinem et potentiam Romanorum multum etiam contulisse existimamus, nonnullarum nationum ignauiam, et negotiorum publicorum exiguam sollicitudinem, discordiam, quae apud nonnullas nationes regnaret, v. g. apud Carthaginienses, denique nimiam fiduciam, quam nonnullae in fide Romanorum collocarent, quae tamen inter gentes raro certa esse solet. Quamuis vero Romanorum respublica in vniuersum bene constituta esset, habuit tamen etiam suos praecipuos naeuos politicos. Refero in hanc classem perpetuam discordiam ordinum, seditionesque inde exortas, locationem denique vectigalium, qui naeui a forma reipublicae profecti esse videntur. Caue tamen cum nonnullis existimes, paucitatem legum, quibus Roma initio utebatur, fuisse naeuum politicum. Etenim populus boni ordinis et virtutis studiosus, non indiget multitudine legum; ita etiam constat Romae tum demum leges fuisse auctas, cum populus non amplius sapientiae, virtutis, bonique ordinis amore teneretur. Quo magis vero cumulus legum cresceret; eo plus earum auctoritas, quomodo illud quotidie videmus, minuebatur paruique ducebatur, Romaque sensim sensimque iacturae suae libertatis imminebat. Cui libertati deinceps amittendae inprimis occasio dedit, quod respublica eiusmodi viris administranda traderetur, qui partium studio et perturbationibus animi ducerentur; quod permitteretur nonnullis ciuibus, nimiam potentiam et diuitias sibi comparandi, qui iis deinde ad euertendam libertatem vsi sunt. Haec fuit facies Politicae practicae Romanorum tempore liberae reipublicae, quam breuiter delineauimus. Quis vero non miretur, in scholis Romanorum praeepta Politices non tradita fuisse? Nam sicuti ex loco aliquo ASCONII PAEDIANI constat, iuuenes Romani, qui aliquando reipublicae praeesse vellent, XENOPHONTIS scripta, inprimis *Cyropaeidiam*, librumque *de Agesilao* diligenter legebant. Quis non miretur, Roman,

*) Conf. MONTESQUIOU Considerations sur les causes de la grandeur des Romains et de leur decadence, Cap. IX. et X. in VI. Tomo suorum Operum. Gottlob Heinrich von Justi Natur und Wesen der Staaten, §. 78. 79. 81. 88. 89. 91. Errat itaque HOFFMANNVS, qui in cit. diss. *de satis studiis Politices* longe alias causas magnitudinis Romanae profert.

Romam, quae tot et tanta ingenia protulit, quae praestantissimis in omni genere disciplinarum abundavit scriptoribus, nullo politico scriptore praeterquam vno CICERONE floruisse. Etenim ille sex libros *de republica* et tres libros *de legibus* conscripsit. Prioris operis mentionem facere videtur in lib. II. *Epistol. ad Quintum fratrem*, ep. 13. cum ait: *Scribebam illa quae dixeram, πολιτικὰ, spissum sane opus et operosum.* Quamquam vero fragmenta tantummodo satis tenuia illius operis exstant, tamen cum ex his, tum ex nonnullis aliis locis, qui in libris CICERONIS occurrunt, patet, eum, sicuti in libris *de legibus*, etiam in hoc opere Platonis vestigia fuisse secutum.

§. 5.

Oppressa libertate populi Romani theoretica Politica iterum Romae negligebatur, de practica vero, illa solida et vera, licet adhuc sub vno et altero Imperatore iterum floreret, maxima tamen ex parte etiam actum esse videbatur. Confirmat illud optime accuratus diligensque scriptor, CORNELIVS TACITVS. *) Constitutionem vero imperii Romani ab Augusto Imperatore ex consilio Maecenatis factam **) continere multa indicia intelligentis politici, quis negabit. Quae eo plus admiratione digna esse videtur, quo propius ad finem, quem sibi Augustus proposuerat, ita, vt nemo intelligeret, accedere videtur. Quam varias artes adhibebat in alliciendis hominum animis, qua calliditate utebatur in relinquenda imagine libertatis populo; quantane prudentia politica ab eo requirebatur, cum sensim sensimque auctoritatem Senatus et magistratuum potentiam, ita quidem, vt ipsi statim modum rationemque non perspicerent, minueret, reditus publicos ad se raperet, denique, quod est summum indicium sapientiae politicae, militem perpetuum introducendo se suosque successores in imperio confirmaret. ***) Quis vero his temporibus, cum tota Politica in arcanis versaretur, de ea commentari, aut eam docere poterat? Certe enim in suspensionem turbatoris quietis publicae et seditiosi cadebat.

*) *Annal.* lib. IV. Cap. 33. *Quia pauci prudentia, honesta ab deterioribus, vitia ab noxiis discernunt, plures aliorum euentis docentur.* Et paullo post: *Nos sacra iussa, continuas accensationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, et easdem exitu causas coniungimus.*

**) Locus classicus est apud DIONEM CASSIUM lib. III. p. 473.

***) MONTESQUIEU lib. cit. Cap. XIII.

Non solum vero ex eo summa prudentia huius Imperatoris patet, sed etiam ex duobus monumentis, quae posteritati reliquit ex Indice rerum a se gestarum, quod est Monumentum illud celeberrimum Ancyranum, *) et Rationario Imperii, cuius TACITVS meminit. **) Ab hac vero prudentia politica longe discessit *Tiberius*. Habet eius imperium insignes naeuos politicos. Satis superque illud testantur castra illa Praetoriana et delatorum agmèn, pessimum hominum genus, et in nulla republica tolerandum. Quis vero tum temporis ciuilem prudentiam vel docere, vel litteris mandare poterat, cum, teste TACITO, Cremutius Cordus, quoniam laudasset in suis Annalibus Brutum, et Cassium vltimum Romanorum dixisset, non solum accusaretur, sed etiam vita priuaretur? ***) Quis *Caligulae* tyrannicum plane imperium ignorat, et *Claudium* Imperatorem, qui magis ad seruiendum, quam ad regendum natus esse videretur, non detestetur? Hunc imprudentia longe superauit *Nero*, qui, licet primis quinque annis laudabiliter regeret rempublicam, tamen deinceps tam imprudenter sese gessit, vt eius infania magis dolenda, quam pessima imperium administrandi ratio vituperanda esse videatur. *Galba*, *Otho*, *Vitellius*, per breue temporis spatium imperio Romano praesuerunt, tumultibus et turbis hinc atque illinc exortis; ea omnia vero ad iacturam magnitudinis Romanae multum contulerunt. Inde etiam pulcherrima ratio, qua in administrando imperio Romano vterentur *Vespasianus* et *Titus*, non omnibus malis mederi, neque Romae pristinam magnitudinem conciliare poterat. Etenim multum sapientiae ab eo requiritur, qui statum aliquem, cuius omnes ac singulae partes medicina indigent, tantummodo aliqua ex parte sanare, eiusque interitum, in quo accelerando veluti data opera elaboratum fuit, auertere conatur. Et quid? haec ipsa sapientia *Vespasiani* et *Titi* displicere videbatur *Domitiano*, qui in pernicie et rebus aduersis ciuium felicitatem suam positam esse arbitrabatur. Et quamuis Roma deinceps *Nerva*, *Traiano*, *Hadriano*, *Antoninis*, praestantissimis et sapientissimis imperatoribus, quos posteritas admiratur, gloriaretur, tamen, (cum nempe turba Imperatorum, qui illis succe-

*) SVETONIVS in *Augusto* Cap. vlt. Descriptum fuit primum a BVSBEQVIO, inde a *Paulo* LYCA, post a COSSONIO, editum a Iac. GRONOVIO in *Memoria Caesariana*.

**) TACITVS *Annal.* I. Cap. II. SVETONIVS in AVGVSTO Cap. 28. et vlt.

***) Conf. TACITVS *Annal.* lib. IV. Cap. 34.

fuccederent, eorum sapientiam iterum desereret,) neque pulcherrima illorum instituta retinere, neque ad pristinam magnitudinem peruenire poterat, sed potius a suo interitu non procul aberat. *) Quamquam vero, cum Politica practica ita comparata esset, praecepta Politices neque in scholis traderentur, neque scriberentur, **) tamen Scriptores historiarum in suis rerum gestarum monumentis nonnullas observationes politicas posteritati reliquerunt. Inter illos eminent in primis *Cornelius TACITVS* bona cum cautione legendus et examinandus, qui ingentem multitudinem Commentatorum nactus est, ***) et ex cuius libris mirum quam multa monita; et dogmata politica recentiores collegerunt, plura forsitan, quam de quibus ipse cogitauerat.

§. 6.

Forsitan vero meliora fata expertum fuit illud studium, cum *Constantinus M.* summam rerum consequeretur, et veritas christianae religionis in aula Imperatorum agnosceretur. Quis vero non admiratione, vel potius ira commoueatur, si faciem horum temporum diligenter considerat, et animaduertit, quemadmodum episcopi et reliquus clerus religione callide vsi sint ad animos Imperatorum sibi conciliandos, ad idololatriam cum eorum, tum reliquorum animis instillandam; quomodo hac ratione sese negotiis publicis immiscuerint, eaque tractanda susceperint, quorum naturam modumque tamen plane ignorarent, et quidem eam ob causam, vt summam auctoritatem et potestatem consequerentur, denique quomodo populum, ne his conatibus reluctaretur, religione, qua eum instruere debebant, terrere non dubitauerint. Inde horrendum illud praecipuum, duplicem esse rempublicam, vnam ecclesiasticam, alteram secularem, exortum fuit, inde fundamenta iacta sunt immensae illius potentiae, quam cum Pontifex Romanus, tum reliquus clerus fuit consecutus. Inde solus Pontifex summus, soli cleri politici. Si vero istam Politicam Machiavellisticis principiis peiorem dixeris, a vero non aberrabis. Profecto enim iis artibus vsi sunt,

*) Conf. MONTESQUIOU cit. loc. Cap. XIV. XV. XVI.

**) Ex PLYTARCHI scriptis quaedam huc referri possunt: *Libellus de capienda ex hostibus vilitate: Commentarius an seni gerenda sit respublica: Praecepta gerendae reipublicae.* Animaduertes tamen in lectione horum libellorum, nullo modo argumentis eorum satisfecisse auctorem.

***) Conter. de iis *Amelot de la HOUSSAYE* in Praef. versionis gallicae.

sunt, vt laicos homines, qui tamen eam ob causam summam famam consecuti sunt, calliditate longe superasse videantur. Iis vero temporibus cum practica Politica tam peruerse adhiberetur, quis huic studio praestantissimo aut recte operam dare, aut illud docere, aut tuto libris illustrare poterat. *)

§. 7.

Sed fatis diu nos retinuit Politica Romanorum, exponamus nunc de Politica maiorum nostrorum Germanorum, et videamus, an ea in re Romanos superauerint. Quamuis vero ad demonstrandam Politicam antiquissimorum temporum, cum Germani adhuc sua libertate vterentur, idonea Scriptorum nobis desint testimonia et coniecturis relic- tum sit, **) tamen ex institutis, quorum memoria ad nos peruenit, fatis

*) Quamuis igitur his temporibus nullum doctorem politicum commemorare possumus, tres tamen Imperatores non dubitauerunt in scribenda Politica operam collocare. Id factum esse inprimis videtur in gratiam suorum successorum, cum studium politicum et historicum a consiliaris suis nimis negligi animaduernerent. Primus est Imperator BASILIUS MA- CEDO, qui LXVI. *Capita Paraenetica ad Leonem filium* posteritatis reliquit, qui liber graece et latine Parisiis 1584. editus fuit. Alter est CONSTAN- TINVS PORPHYROGENNETVS, Leonis Imperatoris filius, doctissimus ille princeps, qui praestantissimis in omni genere scriptoribus Palatinam bibliothecam instruxit. Deinde cum animaduerneret, plerosque retineri a legendo ob molem scriptorum, hos libros epitomauit, et in locos communes, siue tres et quinquaginta titulos diuisit. Huiusmodi excerpto- rum tituli duo curiositate Nicolai PEIRESCII adhuc hodie extant, vnus *de legationibus*, in duos libros diuisas, alter *de vitis et virtutibus*, editi partim ab VRSINO et HOESCHELIO, partim a VALESIO. Confer. *Christoph. Adami RYPERTI Observationes ad Historiae vniuersalis Synopsis Besoldianam minorem*, Norimbergae, 1659. p. 603. et 604. Scripsit porro ille Imperator *Notitiam Imperii*, siue *de regno administrando ad filium*, qui liber scriptus fuit in bibliotheca regia Parisiensi. Confer. CASAVBONI *Praef. ad Polybium*. Tertius denique Imperator est EMANVELIS II. PALAEOLOGVS, qui scripsit *Praecepta centum educationis regiae ad Ioannem filium*. Tertius fuit hic Imperator filius Ioannis V. Palaeologi, et Anno MCCCCLXXXIV. floruit, aliosque etiam libros scripsit, qui omnes prodierunt cum latina versione Basileae, 1578. Confer. *Henr. WHAR- TON in Append. ad Histor. liter. Quilielmi CAVE*, p. 66. 67. Haec omnia vero scripta politica accommodata sunt ad naturam illius imperii, cui isti Imperatores praefuerunt.

**) Confer. *Christ. Godofr. HOFFMANNI Specimen coniecturarum politicarum de origine et natura legum Germanicarum priuatarum antiquarum*, Lipsiae, 1715. Cap. II. Per. I. p. 9.

fatis patet, eos, si etiam non certa quaedam principia politica, tamen prudentiam quandam tenuisse. Et quis Caroli M. prudentiam ciuilem non admiretur? Tenuisse eum imperatoriam dignitatem, maximam partem Italiae, Franciam, insignem partem Hispaniae et Germaniae, fatis superque constat. Hos varios maximosque status non solum feliciter obtinuit, sed etiam cum singulari ratione bona quidem ac sapienti in quolibet administrando vteretur, cum cuilibet nationi diuersa instituta et leges ad illius naturam accommodatas daret, sed etiam, inquam, hos status et florentissimos reddidit, et sibi ingentem potentiam admirationemque posteritatis conciliauit. At enim vero indignus tanto tamque excellente patre filius, *Ludouicus Pius*, sapientiam parentis sui plane deseruit, se suaque omnia permisit callido clero, eius potentiam vehementer auxit, et ita quidem, vt ea ipsi deinceps esset metuenda, fatales illas et imprudentes diuisiones imperii suscepit, ex quibus discordia et turbae exorirentur, et quae Germaniae imprimis multum detrimenti attulerunt. Cum vero nimis longum foret, Politicam sub quolibet Imperatore excutere, nobis liceat, de practica Politica *Germanorum* ab hac periodo vsque ad *Maximilianum I.* ita iudicare. Cura salutis priuatae, auctoritatis, potentiae, praeferebatur ordinarie saluti reipublicae et commodis illius. In illa consequenda omnem operam, omniaque consilia adhibebant Imperatores, Pontifices Romani, denique Principes Germaniae. Actum vero est de tali statu, in quo omnia priuatae tantummodo vtilitatis causa suscipiuntur. Inde ingentes turbae exortae sunt, Imperatores Pontifices Romanos vniuersalem dominatum ambientes impedire conabantur, Imperatoribus, qui suam potentiam nimis augere tentarent, sese opponere Principes Germaniae, illos denique, cum imperatoriam auctoritatem plane negligere, rursus Imperatores coercebant. Clerici porro summo in honore et gratia erant apud Imperatores, iis publica negotia eaque difficillima forsitan ex pietate quadam, sed satis imprudenter demandabantur, illi harum rerum intelligentes habebantur; laicum vero nemo desiderabat, cum esset nullis litteris instructus et tantum bello destinatus. Inde Abbates et Episcopi munus Consiliariorum et Cancellariorum administrabant. Illi vero his grauissimis muneribus, et fiducia, quam Imperatores in eorum fide et intelligentia, quam tamen nullam plane habebant, collocauerant, nimis abutebantur, et sapientiam summi Pontificis sequebantur, hoc est, priuatam suam potentiam et vtilitatem curabant, publicam

vero plane negligebant, neque eam promouere, vel volebant, vel poterant. Inde omnem operam collocabant in opprimendo laico, suamque auctoritatem vt ab omnibus agnosceretur inter capita religionis referebant, omnia negotia ad suam iurisdictionem trahebant, neminemque, qui non ita, quam ipsi, sentiret, ferebant, sed potius eum excommunicabant et diabolo tradebant. Cum igitur omnis sapientia ciuilis sobria illa et vera e Germania exularet, et cleri artibus et calliditate esset oppressa, quis amplius mirabitur, hoc vastissimum Imperium tot et tantis naeuis politicis tempore medii aevi laborasse?

§. 8.

Cum itaque in aulis Principum tam peruerse tractaretur Politica, tuto ex eo colligere possumus, non meliora fata illud studium in scholis habuisse. Etenim illarum doctores erant clerici et monachi, qui auctoritatem Papalem non solum crederent et tuerentur, sed etiam in ea augenda omnimodo elaborarent, inde nomen Politices neque ipsis, neque eorum scholis vnquam fuit cognitum. Docebant septem illas artes liberales, *Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, Musicam, Arithmeticom, Geometriam, et Astronomiam*. Qui rudem faciem litteraturae Germanicae his temporibus diligenter considerauerit, veritatem huius rei facile perspiciet. Inde etiam in Annalibus et monumentis rerum gestarum horum temporum ne vestigium quidem prudentiae ciuilis occurrit. Scriptores eorum clerici, omnem operam collocauerunt in enarratione praeliorum, nimii calor, et eiusmodi rerum; ea vero facta, quae vim habent in rempublicam, et ex quorum cognitione solidus fructus historiarum percipitur, maxima ex parte non attigerunt, ideo historiam iniucundam reddiderunt, multosque, cum ea pars historiae per se difficillima sit, ab eius cultura retinent.

§. 9.

Quamuis vero deinceps seculo duodecimo Aristoteles in scholis reciperetur, licet initio theologi eius introductioni acerrime sese opponerent, librique illius iussu Friderici II. Imperatoris ex graeco et arabico sermone in latinum transferrentur, de Politica tamen altum erat silentium, eamque nemo vel transferre in latinum sermonem, vel recipere in scholis tentabat. Tractabatur primum *Dialectica*, deinde *Metaphysica*, post *Physica*, denique *Ethica*. Consequabantur interea libri huius philosophi summam auctoritatem, criminisque loco habebatur, qui

qui eos immutare, vel aliter docere, vel ultra hunc philosophum sapere conaretur. Sed quid mireris, ARISTOTELIS *Politicam* neque in scholis et academiis receptam, neque vlla exiftimatione dignam fuisse iudicatam, cum earum doctores nullam experientiam rerum ciuilium haberent, atque in historia parum versati essent. Et qualem quaeſo Politicam docere potuiſſent, veram illam? nonne hac ipſa re omnes fraudes et artes Pontificis Romani ac reliqui cleri detexiſſent? De ſua vero, hoc eſt, Machiauellistica, ſilentium conſultius eſſe videbatur. Ita etiam decimo tertio ſaeculo, cum Ius Iuſtinianeuſ in foris et academiis Germaniae recipereſt, nullus ſtudio politico fuit honos, licet Imperatores opera Ictorum iam vterentur; vt ſcriptis ſuis nimiam Pontificis Romani potentiam labefactarent. Etenim primum non multam ſapientiam ciuilem ex Iure illo Romano diſces, eius vero lectionem caeco veluti impetu proſequebantur illorum temporum doctores, ita, vt neque ipſos errores viderent, neque quid immutare conarentur, ſed ſuperſtitioſe veluti illud colerent; deinde etiam in hoc ipſo Iure multa continentur ad augendam cleri potentiam pertinentia, quae potentia etiam tanta iam ceperat incrementa, vt exigua haec ſapientia ciuilis hauſta ex Iure Iuſtiniano eam nullo modo minuere poſſet. Accedebat ad illud, vt Pontifex Romanus reliquosque clerus principia Iuris Canonici Iuri Iuſtiniano ſemper opponerent, et illius vim vehementer limitarent. Et quid longa oratione opus eſſe videtur? Nonne ipſa receptio huius Iuris ad naturam et mores Germaniae nullo modo accommodati neglectum Politices ſtudium ſatis ſuperque indicat? Ab hac igitur ferie temporum vsque ad ſaeculum decimum quartum Germania nullo ſcriptore, nullo doctore politico gloriari poteſt. Hoc vero ſaeculo duo ſcripta politica prodierunt. Primum eſt THOMAE ANGELICI *de Regimine Principum* *), alterum eodem in argumento verſatur, et eſt AEGIDII COLUMNAE, ſive ROMANI, *Thomae Aquinatis diſcipuli et ſectatoris*. Vtrique vero libri ſapiunt praecepta politica Ariſtotelis, et eo etiam tempore verosimile eſſe videtur, Politicam Ariſtotelis in ſcholis et academiis fuiſſe illuſtratam, qua ratione vero et modo, ex conditione horum temporum facile colligere poſſumus.

C 3

§. 10.

*) Nonnulli id ſcriptum ad ſaeculum tertium decimum referunt et auctorem THOMAM AQUINATEM produunt, ſed male, quemadmodum iam *Herm. CONRING* vidit. Conf. Eius librum *de ciuili prudentia*, Cap. XIV. p. 350. et 351.

§. IO.

Illo vero tempore, quo Maximilianus I. ad summam rerum in Germania perueniret, practica Germanorum Politica ad hoc vsque tempus tantopere deformata, et emendabatur, et ad felicitatem statuum stabiliendam transferebatur. Praestantissimis hunc ipsum Imperatorem dotibus natura instruxerat, sapientiae verae studio ipse erat deditus, omnemque operam in ea promouenda collocabat, iustumque cum litteris in vniuersum, tum laboribus virorum doctorum statuebat pretium. Inde ex rerum gestarum monumentis patet, quomodo his temporibus immensa cleri potentia fuerit concussa et labefactata, mores illi satis agrestes et feri sint depositi, turbae et intestina bella sublata, res militaris emendata, et in meliorem formam redacta, commercia amplificata, litterae excultae, et denique in vniuersum eiusmodi instituta in Germania introducta, quibus vera felicitas ciuium continetur. Ea omnia vero prudentiam ciuilem veram illam et rectam Maximiliani I. ac reliquorum Principum Germaniae satis superque indicant. Quamuis vero in academiis et scholis non meliora fata studium politicum hoc saeculo habuerit, quam superiori, nemoque Politicam scriptis illustrauerit, historici tamen horum temporum a recepta veluti ratione proponendi historiam discedunt, et ea immiscet suis libris, ex quibus natura et conditio statuum magis intelligitur, et quae ad prudentiam ciuilem sibi comparandam multum conferunt.

§. II.

Tandem vero cum triste illud et durum papale iugum excutere-mus, cum intellectui humano non amplius imperaretur, et sentiendi, et dicendi libertas restitueretur, cum academiae non solum ecclesiae, sed etiam reipublicae seminaria haberentur; haec etiam nobilissima disciplina ab obliuione vindicata, in academiis magis quam antea excultae, scriptisque illustrata fuit. Gloriatur Germania hoc saeculo viris, qui libris suis prudentiam ciuilem explicauerunt, *Iacobo WIMPHELINO*, I) *Philippo MELANCHTHONE*, II) *Ioachino CAMERARIO*,

I) Scripsit ille *Praecepta Reipublicae instituendae*, conf. *Jacob Reimmann*, *Versuch einer Einleitung in die Historiam litterariam der Deutschen*, III. Theil, das III. Hauptstück, p. 9.

II) MELANCHTHON communis ille praeceptor Germaniae, sicuti de multis scientiis, ita etiam de Politica insigniter meritus est, mirumque esse videtur,

RIO, III) *Ioanne CALVINO IV*), *Michaele PICCARTO V*), *Huberto GERMANIO VI*), *Ioanne SLEIDANO VII*).

§ 12.

Non solum vero Germania hoc saeculo floruit scriptoribus politicis, sed illis exterarum etiam regiones gaudent. Italia *Nicolao MACHIAVELLO I*),
Cyriaco

tur, cum nuper haec merita scriptis illustrarentur et commendarentur, neminem fuisse, qui eius merita circa prudentiam civilem in memoriam hominum reuocaret. Primum vero multa consilia in negotiis publicis dedit, deinde etiam libris Politicam excoluit. Reliquit posteritati *Commentarium in VIII. libros Aristotelis de Republica*, libellum de praecipuis mutationibus Imperiorum, qui adiectus est *Chronico CARIONIS*, libellum anno 1536. scriptum: *Quod ad magistratus civilis officium pertineat, abolere impios cultus*. Conf. GESNERI *Pandectas*, p. 311.

III) *Commentarius in libros VIII. Aristotelis de Republica*. Conf. *Reimmannus* lib. cit. p. 14.

IV) Scripsit *Propaediā practicā*. Haec Propaedia diuisa est in quatuor tractationes. Ad nostrum institutum pertinent: Tractatio secunda, in qua *Epitomes Politicae et scientiae Oeconomicae* continetur, porro tractatio tertia, quae est *Oratio de quatuor Politicis et Politicorum scholis ac periodis, ortu et progressu*, tractatio quarta, quae iterum est *Oratio de fine et usu disciplinarum politicarum*.

V) *Commentarius* satis bonus in VIII. libros Aristotelis de Republica. *Sex Decades Observationum politicarum*. *Isagoge in lectionem Aristotelis*.

VI) *Commentarius in VIII. libros Aristotelis de Republica*.

VII) *Summa doctrinae Platonis de Republica et de Legibus*.

D) *Nicolaus MACHIAVELLVS*, qui nouam Politicam introduxit, sed quale monstrum? quae ab eo nomen *Politicae Machiavellisticae* accepit. Scripsit: *Librum Princeps, Dissertationes de Republica ad Liuium*. Prior liber continet quidem multa praecepta, quae nullo modo ferri possunt, et quae magis ad euerendam statuum felicitatem, quam ad eam stabiliendam et conseruandam pertinent; nollem tamen in vniuersum librum improbare eiusque lectionem plane reicere, cum multa etiam contineat, quae usum habent, et totus liber omnino satis indicat, MACHIAVELLVM neque historicum expertem et in negotiis rerumpublicarum maxime versatum fuisse. Ceterum ne existimes, haec praecepta impia, falsa, et a vera prudentia aliena profecta esse ab ingenio Machiavelli, iam dudum ea ARISTOTELES in *libris de Republica* tradiderat, ita tamen, vt ea non probaret, sed potius homines ab iis detereretur. Nostra aetate hunc librum imprimis illustrem reddidit Potentissimus Rex Borussiae, cuius prudentiam politicam omnes admiramur, qui eum sua emendatione non indignum iudicauit, sed euulgauit: *Essai de Critique sur le Prince de Machiavell, publié par Mr. de VOLTAIRE*. Possunt etiam de hoc *Nicolao MACHIAVELLO* conferri CHRISTII
libri

Cyriaco STROLZA II), et Ioanne BODINO III), Francia Ioanne BODINO IV), Anglia denique Thoma MORO V).

libri III. de Nicolao Machiavello, Praefatio Herm. CONRINGII editioni libri de Principe ab anno 1636. adiecta. Casp. SCIOPIUS peculiari Apologia Machiavellum defendit, vid. MORHOF. Polyhistor Tom. III. p. 492.

II) Addidit libris ARISTOTELIS de Republica duos, sed infelici conatu, re-
steque iudicasse videtur Herm. CONRING in libro de civili prudentia Cap.
XIV. p. 357. Non satis tenuisse illam, quidnam Aristotelico desit operi.
Confer etiam Eius Introductionem in Aristotelem, Cap. VI. et VII.


III) Habemus ab eo de Ratione Status, siue Illustrium Statu et Politia libros
X. et libros III. de Origine urbium, earum excellentia et augendi ratione.
Vtrique libri latine prodierunt Helmstadii, 1665. et 1666. cura Ludouici
Georgii LUNDENII, cum Praef. Herm. CONRINGII, in qua etiam iudicium
de his ipsis libris reperies.

IV) Pertinent ad hanc classẽ: Eius libri sex de Republica. Indicant hi li-
bri multam variamque cognitionem historiae, quam tamen nimis anxie
cum Politica coniunxit, ita, vt lectoribus nauseam excitet, suae praee-
pta multitudine exemplorum magis difficilia reddat, quam illustret, bonum
ordinem in docendo omittat, eaque immisceat ad ostendam diffusam le-
ctionem, quae a suo argumento longe aliena esse videantur. Inde facile
colligere poteris, quam temere et peruerse iudicauerit NAVEAEVS in
Bibliographia Politica. cum ait: Omnes, quicumque libros de republica edi-
dere, a Bodino esse victos. Opus esse elaboratum ingenio, expolitum indu-
stria, et omnibus numeris absolutum.

V) Utopia. Platonis vestigia fuit secutus et fictam descripsit rempublicam.
Conf. Jacob Reimmann cit. lib. p. 55. 59. et le CLERC, Biblioth. anc.
et mod. tom VII. p. 212.

§. 13.

Ita vero Historiam huius studii vsque ad saeculum decimum septi-
mum delineauimus. Cum vero illud argumentum multas difficultates
habeat, et natura exiguis dotibus nos infruxerit, varia his addi et multa
emendari posse, facile nobis persuademus. Maximopere igitur nobis
gratulabimur, si tantummodo aliqua ex parte viris harum rerum intelli-
gentibus et idoneis aestimatoribus satisfecerimus, et, si illi nostros co-
natus non plane improbabunt. Nam illorum emendationibus profecto
nihil iucundius et suauius nobis contingere poterit. Eorum vero le-
uitatem, si qui forsitan sunt, qui, vt fauorem nonnullorum consequan-
tur, nos perfringant, nullo modo timemus. Etenim nobis alisque
satis constat, earum disciplinarum, quas nos scribendo illustra-
mus, istos ne prima quidem principia didicisse.







TL 446

(X2298632)

n.c.







CAROLI RENATI HAVSEN,
LIPSIENSIS, PHILOSOPHIAE MAG.

PROGRAMMA

DE

FATIS STVDII POLITICI

APVD GENTES

VSQVE

AD SAECVLVM XVII.

QVO

PRAELECTIONES SVAS HISTORICAS

ATQVE POLITICAS

HAC AESTATE HABENDAS INDICIT.



LIPSIAE,

EX OFFICINA LOEPERIA.

MDCCLXIII.